



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Brevis Expositio Propositionum Damnatarum**

**Didacus <ab Aragonia>**

**Venetiis, 1728**

Consuetudo Peccandi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42653**

tentibus imponantur, est gravissimum peccatum, hominibus piis, ac doctis tam grave scelus attribuendo, quod scilicet aliorum culpis obspem lucri coniveant.

### CONSUETUDO PECCANDI.

145. **Q**uæritur. An detur discrimen inter consuetudinem & occasionem proximam peccandi?

Resp. Dari utique, nam omnis occasio proxima plerumque affert consuetudinem peccandi, quamvis aliquando possit esse sine tali consuetudine; consuetudo autem peccandi plerumque datur sine occasione proxima, ut patet in eo, qui frequenter se polluit, pejerat, detrahit &c.

146. Quæritur. An Confessario interroganti teneatur pœnitens fateri consuetudinem peccandi?

Resp. Tenetur fateri, juxta decretum Innoc. XI. damnantis *prop. 58*. Ratio est, quia cum Confessarius non possit absolvere pœnitentem nisi rectè dispositum, ad hoc ut absolvat, debet habere credulitatem saltem probabilem de recta pœnitentis dispositione, habet ergo jus inquirendi, an pœnitens habeat propositum non peccandi, cum igitur diuturna consuetudo peccandi soleat difficiliorem reddere efficaciam propositi, poterit interrogare de tali consuetudine, & de animo illam amputandi, ut ita cognoscat, quale sit propositum pœnitentis, & an ille sit ritè dispositus; deindè quia Confessarius debet consulere pœnitenti ea media, quæ conducunt ad emendationem vitæ in futurum, sed

sed inquirere consuetudinem peccandi maxime conducit, ut prudenter intelligat, quale debeat ei præbere consilium, & cuiusmodi remedium adhibere: ergo Confessarius habet jus interrogandi de consuetudine, & pœnitens tenetur eam fateri, etiamsi sit vir doctus, qui facile sibi persuadeat, se habere evidentiam de recta sua dispositione, nam in eo conscientia laxa fortassè decipitur.

147. Quæritur. An pœnitens non interrogatus à Confessario teneatur per se fateri peccandi consuetudinem?

Resp. Perso non tenetur, per accidens autem quando consuetudo est novum peccatum propter aliquam specialem rationem, aut est occasio proxima novi peccati, consuetudinem ipsam esse confitendam, certum est.

148. Quæritur. An habenti consuetudinem peccandi mortaliter, & habenti dolorem, & propositum emendationis cognitum à Confessario, possit iste differre absolutionem etiam pœnitenti invito?

Resp. Possè, dum Confessarius videt, id expedire ad emendationem pœnitentis, & ad maiorem firmitatem propositi non peccandi de cætero, idque etiam si pœnitens renuat, nam Confessarius non solum est iudex, sed etiam Medicus spiritualis, idcirco potest adhibere hoc remedium opportunum differendi absolutionem ad vitæ emendationem; quod si facile pœnitens non sit amplius habiturus opportunitatem confitendi, vel si probabiliter credatur, quod ex dilatione absolutionis facile in desperationem missus in nova scelera sit lapsurus, non est differenda absolutio pœnitentis.

tenti disposito, atque invito; cum enim in his casibus dilatio absolutionis non appareat profutura, sed potius nocitura, non adhiberetur in medicamentum, sed in venenum: extra hos casus, experimento constat, quod dilatio absolutionis per aliquot dies multum conferat, ne consuetudinarius in eadem peccata relabatur, qui licet hic, & nunc habeat verum dolorem, & propositum efficacem, & per consequens habeat jus ad absolutionem, non tamen habet jus ad illam statim obtinendam, sic Catholicus petens baptismum, jus habet ad illum, non tamen ad illum habendum statim, passim enim differtur, ut melius instruatur, & cum majori dispositione ad illum accedat.

149. Quæritur. An consuetudinario asserenti, se habere dolorem, & propositum non peccandi de cætero, teneatur credere Confessarius?

Resp. Ut in plurimum tenetur; quando autem ex alio capite, aut circumstantiis constat, aut prudenter timetur, illum non esse sufficienter dispositum, quantumvis dicat, se dolorem, & propositum habere requisitum, non est illi credendum; impossibile enim est, quod aliquis credat cum satisfactione dictum unius privati hominis, quando habet indicia, & conjecturas urgentes in oppositam partem, & ex parte illius privati hominis nullum aliud est motivum, nisi dictum simplex illius.

150. Quæritur. An ubi nulla spes emendationis apparet, teneatur Confessarius absolvere peccatorem, etiam non recidivum asserentem, se habere dolorem, & propositum?

Resp.

Resp. Negativè, sive talis defectus spei emendationis se teneat ex parte pœnitentis, sive ex parte Confessarii, nunquam poterit iste licitè absolutionem impendere, nisi prudenter sibi persuadeat, pœnitentem habere propositum firmum emendationis, & dolorem de peccatis præteritis; ad hoc autem, ut pœnitens perveniat ad concipiendam spem emendationis suæ, debet Confessarius proponere ei motiva, per quæ melius disponatur, quod si non consequatur, quamvis dicat pœnitens, se habere dolorem, & propositum, tenetur negare aut differre absolutionem, etiam invito; *lege propos. 60. inter damnatas ab Innoc. XI.*

151. Ex dictis sequitur, subjici damnationi dictæ *prop. 60.* quamcumque opinionem, quæ negaverit, Confessarium posse negare, aut differre absolutionem concurrentibus simul tribus circumstantiis, prima, quod pœnitens habeat consuetudinem peccandi. 2. quod nulla sit spes emendationis. 3. quod solo verbotenus asserat pœnitens, se dolere, & proponere, sine eo, quod detur signum sufficiens, quo colligatur, se loqui ex animo.

152. Quæritur. An damnationi subja- ceat ea propositio Lovaniensium docens, quod negatio, aut dilatio absolutionis, si solùm sit utilis, & non simpliciter necessaria, non est exercenda in pœnitentem invitum?

Resp. Quamvis talis opinio sit falsa, ut constat *ex cap. Omnis utriusque &c.* ubi id soli iudicio Confessarii committit, non tamen subjicitur damnationi expressè, & formaliter, quia ut ex terminis patet, longè

distat à propositione damnata, sed neque virtualiter, nam ex illa non infertur propositio proscripta.

153. Quæritur. Quomodo poterit Confessarius se gerere ad formandum iudicium prudens de dispositione requisita pœnitentis, ut illum licitè absolvere possit?

Resp. Poterit prudenter iudicare, pœnitentem esse sufficienter dispositum, eumque licitè absolvere, si concurrat aliqua ex circumstantiis sequentibus. 1. si in præteritis Confessionibus pœnitens non fuerit à Confessariis admonitus de suo periculoso statu, & in præsentis monita, & correctiones libenter suscipiat, pœnitentias accipiet, ac culpas suas ex animo detestetur. 2. si cum lacrymis, suspiriis, vel aliis veridoloris signis non ordinariis confiteatur. 3. si ex Concionibus, Missionibus, morte impropvisa, vel alio fatali casu commotus, & compunctus ad Confessionem accedat. 4. si postquam fuit à Confessariis admonitus diligentiam adhibuerit ad vitanda peccata, & peccatorum occasiones, & de facto se emendaverit, rarissimè peccando. 5. si sponte confiteatur, id est, si non urgeatur à Patre, Matre, Præceptore, Pædagoogo, præcepto Ecclesiæ, Congregatione, Confraternitate, vel consuetudine confitendi festivo die &c. Sed à solo desiderio justificationis, ac emendationis culparum. 6. si in articulo, vel periculo mortis probabili fuerit constitutus.

154. Quæritur. An in articulo mortis possit licitè impendi absolutio, etiam si dubitetur de vero pœnitentis proposito, dummodo non constet illud abesse?

Resp.

Resp. Affirmativè, ratio est, quia non potest Confessarius in illo articulo melius certiorari, sed tunc absolutio sub conditione conferenda est videlicet: si ritè es dispositus: *ego te absolvo &c.*

155. Quæritur. An ad suscipiendum pœnitentię Sacramentum requiratur contritio perfecta?

Resp. Negativè, nam sufficit attritio supernaturalis, & hæc doctrina est omninò certa, & indubitabilis propter definitionem Tridentini *sess. 14. cap. 4. in hæc verba: Quamvis sine Sacramento &c.*

156. Quæritur. An saltem in articulo mortis requiratur contritio perfecta?

Resp. In articulo mortis pro valore, & efficacia Sacramenti pœnitentię non requiri contritionem perfectam, sed sufficere attritionem supernaturalem; Ex alio vero capite requiritur perfecta contritio, ex charitate formata, quia cum homo in eo articulo non sit certus, eam attritionem supernaturalem, qualis requiritur ad Sacramentum, à se esse elicitam; actus autem dilectionis Dei super omnia reddat illum omninò securum pro salute æterna consequenda, ideò ad hanc securitatem requiritur contritio charitate formata, maximè, cum non habeat omnimodã evidentiam, aut certitudinem de valore sui baptismi, neque de valore ordinis Sacerdotis illum absolventis.

C O P U L A.

157. **Q**Uæritur. Quot sint fines propter quos licet, aut non licet vacare Copulæ Conjugali?

D 4

Resp.